

pater, quinque noster Posidonius. sed a Stoicis vel princeps eius disciplinae, Posidoni doctor, discipulus Antipatri degeneravit Panaetius nec tamen ausus est negare vim esse divinandi, sed dubitare se dixit. Quod illi in aliqua re invitissimis Stoicis Stoico facere licuit, id nos ut in reliquis rebus faciamus a Stoicis non concedetur? praesertim cum id, de quo Panaetio non liquet, reliquis eiusdem disciplinae solis luce videatur clarius. sed haec quidem laus Academiae praestantissimi philosophi iudicio et testimonio comprobata est. etenim nobismet ipsis quaerentibus, quid sit de divinatione iudicandum, quod a Carneade multa acute et copiose contra Stoicos disputata sint, verentibusque ne temere vel falsae rei vel non satis cognitae adsentiamur, faciendum videtur ut diligenter etiam atque etiam argumenta cum argumentis comparemus, ut fecimus in iis tribus libris quos de natura deorum scripsimus. nam cum omnibus in rebus temeritas in adsentiendo errorque turpis est tum in eo loco maxime, in quo iudicandum est quantum auspiciis rebusque divinis religionique tribuamus; est enim periculum ne aut neglectis iis impia fraude aut susceptis anili superstitione obligemur.

5  
8 Quibus de rebus et alias saepe et paulo accuratius nuper cum essem cum Q. fratre in Tusculano disputatum est. nam cum ambulandi causa in Lyceum venissemus (id enim superiori gymnasio nomen est), 'perlegi' ille inquit 'tuum paulo ante tertium de natura deorum, in quo disputatio Cottae quamquam labefactavit sententiam meam, non funditus tamen sustulit.' 'Optime vero' inquam; 'etenim ipse Cotta sic disputat ut Stoicorum magis argumenta confutet quam hominum

5

10

15

20

25

30

